



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.XXXVIII. Sancti Patris Benedicti. M.L.VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

*ffio S. Ig-
nati sub
Missa.*
festione (que ante Missam premititur,
ad illa verba venisset) (& omnibus Sanctis)
magnum Sanctorum numerum, fulgentem
gloria, ante oculos positum vidit, inter quos
& Hozius aderat, splendidiore quam reli-
quum habitu, gloriaque multo illustriore.
Non quod sanctior ille ceteris, aut bea-
tior esset: sed quod DEUS gloriam homi-
nis, per insigniorem hanc formam comper-
tam Ignatio, ut ipsemet referebat, testa-
tamque esse voluisset. Qua ex re tanta la-
titia persusus est ejus animus, ut per mul-
tos dies, suavissimum ex recordatione fle-
rum reprimere non posset. Ita Petrus Ri-
badeneira in Vita Ignatii & plures alij
scriptores. Tantum gratiæ Ignatio
Casini à Numine, tantum Gloriæ Casi-
no ab Ignatio contigit, ut merito us-
que hodie, sera sanctorum agnoscat
posteritas & mutuo se se in tantorum
parentum sincero affectu comple-
tantur.

*Gerwici
abbatis
Weingart-
ensis me-
rita.*

Inter meritissimos hoc ipso anno
de Imperio, deque Religione Catho-
lica in Imperio viros referendus me-
rito suo est, Gerwicus Abbas Weingartensis,
ex equestri vetulissima &
nobilissima Blaarerorum de Girsperg
& Güttingen familia, bono publico
totus intentus impensisque, nulla spe
lucri, aut honorum, gravissimis sui Cæ-
nobij incommodo, dispendio, pericu-
lis, impensisque, Imperatoris atque
Imperij commodis prospiciens, & ne-
cessitati patriæ consulens, gravissimis
sæpe functus Legationibus, atque in re-
mota & externa Regna ob seria Regni
negotia Imperatorem consequutus.
Adeo nostri ambitione omni & for-
tunâ potiorē fidem & Constantiam
habuere. Et revera singulis fere an-
nis, minimè tamen singula, quæ totos
requirerent tomos, sed plurima, at-
que ingentia tanti viri de Imperio,
ejusque Augusto merita forent com-
memoranda. Nec censeremus etiam
compendio excludenda, nisi amor
proprio, nec Religionis solum sed &
sanguinis propinquitati ac necessitu-
dini obnoxia laudatio videri posset.
Prætermittendum tamen non est, Ger-
wici in primis consilio atque opera,
haud modico Imperij bono, Ordini-
que Benedictini, atque aliorum etiam
Abbatum ornamento atque emolu-
mento, Collegium Imperialium Sue-
viæ Abbatum esse institutum, Gerwi-

*Huius operæ
Collegium
Abbatum
Imperialium
instituitur.*

co Collegij ejusdem rem & honorem
primùm promovente, Archivum cu-
stodiente, & primo ab Abbatibus Can-
cellario designato. *Ex Weingart. Mo-
nimentis.*

*B. Hierony-
mi Sueffa-
ni merita.*

De Beati Hieronymi Sueffani, mer-
ritissimi Reformationis Montis Cor-
onæ propagatoris, meritis & virtutibus,
multa & miranda hoc tempore cele-
brat Lucas Rubensis, qui hoc ipso an-
no factam ab ipso Rubæ, sive Ruben-
sis Cænobij fundationem commemo-
rat; in quo cum lætissimæ suæ atque
Ordinis universi Tutelaræ, Magnæ Ma-
tris Virginis imaginem posuisset, fre-
quentibus illico illa miraculis locū il-
lustravit, & celebrem reddidit, ac pi-
os pauperum conatus, plurimum iu-
vit, & mirè promovit. *Vid. cit. Lucas
Rubensis.* Ipso anno moritur Jllmus
Dn. F. Vincentius Buccaferreus Congr.
Olivet. Episcopus Marsicæ Novæ,
Pauli III. olim Oeconomus, Vir præ-
stantissimus.

*Vincentius
Episc. Mar-
sicæ.*

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXXVIII.
Sancti Patris Benedicti. M. L. VIII.

Cœlo jucundissima, in Britannijs,
ab Ordine Benedictino exhiben-
tur spectacula dum innumera Religio-
forum multitudo, ad omne subeun-
dum pro Christo & Romana Fide Mar-
tyrium parata, nullumque intactum
ab impijsimæ Regis crudelissimis edi-
ctis Cænobium, omnia susque deque
vertuntur, spoliantur, Ecclesiæ, alta-
ria, sacra vasa impurissimis tractan-
tur manibus, & Viri Religiosissimi,
multo ignominiosius, quam ab Har-
rode Christus, tractantur, nemine non
sibi mortem imaginante, dum potio-
res ceteris omnes abripi ad carceres,
alios sine causa sterni & trucidari con-
spiciunt, præcipitante in omnem li-
centiam, aliàs infenso Religiosis Re-
gio milite, eoque gratius sese Regi fa-
cere persuasissimum habente, quanto
crudelius sacros viros & sacra omnia
tractarent, cum vice versa, plurimi
mille cladibus perire mallet, quam
adeo turpiter & sacrilegè sacra loca,
profanari, & DEUM tantis facinoribus
offendi. Sed quàm jucundum cœli-
tibus tot millium spectare generosos
animos & agonem tam Heroicum, tam
horribile visu & abominandum hoc
ipso fuit anno quod dementissimus præ-

*Persecutio
nostrorum
in Angliæ.*

*Etiā
mortuis
bellum in-
didit Hen-
ricus VIII.*

L



præ furore Rex, in cœlos ipsos est ausus, inaudita ad eam usque diem temeritate & immanitate, nec solum mortuis insultare non est veritus, sed tantâ miraculorum gloriâ ab ipso Numine commendatissimo Cœliti S. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo & Martyri [quem odio infensissimo stultissimus ipse persequeretur, quod vir sanctissimus adeo constans libertatis Ecclesiasticæ dum viveret assertor fuisset & Henrici Regis cognominis libidini tam constanter obstiteret] bellū intulit, eo nequitia & abominationis progressus, ut Sancto solemnissime Canonizato totoque terrarum orbe celebratissimo, adeoque ipsi quasi DEO, contestatissimâ Amicissimi sui Thomæ sanctitatē, tantis prodigijs cōmendanti, ceu iniquo obnitii ausus, illi diem dicere huic contradicere, illum è cœlis ad Sathanicum suum tribunal vocare non expauesceret. Citationem perfidissimi & stultissimi Regis audiamus.

*Impietas
mandata
Henrici
VIII.*

*Henricus
VIII. stul-
tissimè S.
Thomam è
cœlis ad su-
um tribu-
nal citat.*

*O Mon-
strum ne-
quitia!*

*Pulchrè
Oedepol
Herle!*

*Henricus DE I gratia Anglia, Fran-
cia & Hibernia Rex. Defensor Fidei, &
Ecclesie Anglicane CAPUT. Presentium
tenore citamus, & vocamus ad supremum
nostrum Consilium, TE THOMAM qui
fuisi olim Archiepiscopus Cantuariensis,
ad agendum de mortis tue causa, de scan-
dalis que commisisti contra Reges nostros
predecessores, & iniustitia, qua ubi Mar-
tyris nomen arrogasti: quod potius, ut re-
bellis & contumax contra Regis tui & Do-
mini auctoritatem, quam ut fidem Catho-
licam propugnares, mortem subieris: quod
sine prejudicio ejusdem leges, quibus te oppo-
suisi, justus dicere poteras, & ille esse supre-
mus in rebus Ecclesiasticis Iudex, ut nos jam
sumus. Et quia delicta tua commissa sunt
contra Regiam Majestatem, quam hodie
tenemus, citamus te ad audiendum sen-
tentiam. Et si non sit, qui pro te compa-
reat, juridicè procedetur, prout Regnorum
nostrorum Leges disponunt & dicunt.
Datum Londony 24. Aprilis 1536. Hanc
malè fundatam citationem, jussit Hen-
ricus sancto viro ad sepulchrum sig-
nificari per apparitorem publicum, &
intimationis testimonium scribi. Et
jam triginta dierum tempore illi sta-
tuto elapso, lis contra sanctum scrip-
to cœpta, dato illi causidico, qui cau-
sam illius ageret, ut Rex volebat [pul-
chrè Oedepol Herle] & rationibus
quas volebat Rex, Henrici II. actionem*

assūmebat, & probare nitebatur, quod antiquæ illæ leges justæ erant, & is, qui se ipsidem opponeret, rebellis & contumax, quodque illi qui sanctum trucidarant, fidelium & bonorum subditorum munus impleverint, &c. Ex quibus omnibus sequuta est fæva in S. Thomam sententia, DEO sic permitte, ut monstri hujus Diabolici iniustitia, & conatus stulti atque impij tanto clarius paterent, & Sancti Thomæ memoria renovaretur. in secundo hoc suo, memorabili ad omnem aternitatem Martyrio. Sententiam cœlis detestandam audiamus.

*Henricus DE I gratia &c. ut supra.
Visa causa Thomæ quondam Archiepiscopi
Cantuariensis, & quod coram nostro Con-
silio supremo, citatus, nemo qui causam
ejus ageret, statuto tempore comparuerit,
& quod Causidicus ei datus nihil alleget
in refutationem & rejectionem criminum,
Rebellionis, Contumacia, Lese Majestatis
& prodicionis contra Regem suum, ut pen-
nam ipsis debitam effugeret, Visa etiam
probatione sufficiente omnium de quibus ac-
cusatur, & quod vivens Regnum turbavit,
& totus in hoc fuerit, ut predecessorum
nostrorum Regiam potentiam diminueret,
quodque crimina ejus mortis causa fue-
rum, & non quod ob DE I & ejus Eccle-
siae honorem occubuerit, quod ejusdem su-
perioritas pertinet ad hujus Regni Reges,
& non ad Episcopum Romanum, ut ille su-
stinebat in corona nostra prejudicium. Vi-
so etiam quod populus eum habet pro Mar-
tyre, quod dicat eos qui pro Ecclesia Roma-
nae auctoritatis defensione mortem oppet-
tunt, veneratione dignos esse. Ut ergo ta-
lium criminum rei puniantur, & ignoran-
tes errorem suum agnoscant, & abusus in
Regnum introductos fugiant: Judicamus
& decernimus dictum THOMAM olim
Archiepiscopum Cantuariensem, ab hoc
tempore non habendum pro SANCTO, nec
Martyrem nominandum, nec inter ju-
stos ejus habendum mentionem, nomen &
ejus imagines ex templis eradendas, nec
eum in Missalibus, precationum libris, Ca-
lendarijs vel Litanijs nominandum, eum-
que incurrisse crimen Lese Majestatis pro-
dicionis, perjurij, & rebellionis. Et quia
talis, mandamus ejus ossa ex sepulchro erui,
& publicè comburi, ut ex mortui pyritio-
ne discant viventes, leges nostras revereri
& nostra se auctoritati non opponere. Au-
rum vero, argentum, lapillos pretiosos &
alia*

*Nemo sic
gentilium
deliravit.*

*Pro aertu
stultitia &
nequitia
memoria.*

*Qualiter
Sacriligi-
um pallia-
re venetur.*

alia dona quæ ad ejus sepulchrum simpliciter homines, quod eum sanctum crederent olim obtulerunt, tanquam bona ejus propria corona nostræ consecramus, ut Regni hujus Leges & consuetudo dicatur. Et sub mortis pœna & honorum amissione vetamus, ne quis subditorum nostrorum, eum ab hoc die Sanctum nominet, nec ei preces legat, nec ejus Reliquias secum ferat, vel ejus memoriam directè vel indirectè promoveat, nam tales eorum numero habebuntur, qui contra personam nostram Regiam conspirant, vel conspiratoribus favent, & auxilium ferunt. Et ut nemo hujus Edicti nostri ignorantiam præsentat, jubemus, ut idem in civitate nostra Londoniensi, Cantuariensi, & alijs Regni nostri publicetur. Datum Londonij undecima die Junij 1538. Per Regem in suo consilio. Proclamata hac iniqua & Hæresibus plenâ sententiâ, jussit Rex edictum undecima die Augusti executioni mandari, & aurum omne atque argentum à sepulchro auferri, tanta quantitate, ut [teste Pollinio] viginti & sex magnis curribus vix avehi potuerit, fuitque 19. Augusti sanctissimum, tanti Martyris corpus publicè combustum, cineresque in ventum sparsi, nemine non, nisi auctoribus sceleris, sævitiam sceleris detestante, plurimis complorentibus, & maxime nostris, Idem in tanto Martyre & Collega Ordinis Martyrium subeuntibus: Henrico, ipsis etiam Lutheranis in Germania, omnibus autem Europæ Regibus in visio & detestando, & usque hodie ac in æternum bonis omnibus execrando paulo post pœnas dependente, quin & posteris & successoribus, nec non Regno universo usque hodie luentibus, designante haud obscurè suo & nomine & Tyrannide Cromuelio, cum totius Tragædiæ Henrico Regi Thomas Cromelius auctor fuisset, homo obscurus, ab Anna tamen Bolenia Regi tantopere commendatus, ut & Comitem crearet, & Regni denique Vicarium constitueret; Bolenia non inultum ferente, cum paulo post Regis mariti jussu adulterij insimulata decapicaretur, Henrico deinceps in infinita scelera & turpitudines prolapsus, & abominabili suismet facto, donec ad causam inevitabilis etiam Regibus tribunalis à THOMA decennio post citaretur, & in suprema cum morte temporali iuncta. O Thoma

O Thoma O Thoma desperatus congeminatet. Ex Hieronymo Pollinio, Chrysof. Henriquezio, Clemente Reinero.

Desperatio
Regis Hen-
rici VIII.

Magnum sacrae familiae nostræ Olivetanæ sydus, Italiae ereptum Emphyreo nunc Cœlo inferitur. sanctæ memoriæ Antonius Bentifolius, non minus virtute quam illustrissimi generis Nobilitate spectatissimus, ferventissimus & felicissimus primum Novitorum Magister, ipse regula rectitudinis omnibus factus, inde Prior electus, totus sacrae charitatis ignibus succensus, oculis verè columbinis, quibus ipse non crederet, siquid in alijs defectum cerneret. Erga pauperes, non tam munificus, quam prodigus, in quos, quidquid habere poterat effundebat. Unde maximæ Oeconomorum querelæ quod nimia largitione Monasteriorum proventus longè superante, mutuum acciperet, quod pauperibus erogaret. Verum ipse, ut querelas sopiret, convocatis Fratribus, re proposita cum promitteret pluralitati votorum se pariturum; adeo potenter egenis patrocinatus est, ut concorditer, facere quod fecerat, juberetur. Res mira! cum tempore famis Veronæ Abbatem ageret, & vix farina Fratribus in duas refectiones sufficeret, dum ipse quotidie innumeris egenis assatum elargiretur, adeo nihil desideratum à Fratribus in victu quotidiano est, ut panis non solum, sed vinum & obsonia omnibus abundarent. Fuit non minus Mecœnas studiorum & studiosorum: Vir planè omnibus amabilis, & dignissimus felici, quæ assequutus sub hoc ipsum tempus est, immortalitate. Ex Secundo Lanceloto.

Ven. Anto-
nius Ben-
tifolius.

Prodigiosa
Liberati-
tas.

Eodem anno Vir sanctissimus Ignatius Patrum Societatis conditor, nunquam acceptæ passim à Benedictinis gratiæ inemor, & primæ suæ in Monte Serrato inspirationis & vocationis, Romam delatus primum suæ Predicationis munus suscipit in templo Beatissimæ Matris Virginis Montferratensis. Videatur Petrus Ribadeneira.

S. Ignatius
iterum
apud nos-
tros.

In Germania plurimum sese dilatat Reformatio Bursfeldensis, in qua promovenda plurimi Zelo sacro succensissimi Abbates laborant, quos inter celebres habentur Egidius à Buchholtz Abbas S. Viti Gladbacensis hoc ipso anno ad felicem immortalitatem, & præmia tantorum laborum vocatus,

Bursfel-
densium
merita.

O qualis
in Cælo la-
ta contra
Sacrite-
rum par-
titudam?

Secundum
Martyri-
um S. Tho-
mæ Cantu-
ariensis.

Cromueli-
orum ne-
quam con-
silia non
multa.